



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,  
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,  
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,  
ex Eusebio Cæsariensi ...**

**Eusebius <Caesariensis>**

**Haer. Chr. Egen., 1571**

**VD16 E 4284**

107. De Blasphema Confessione Iuliani in morte se victu[m] esse à Christo. Iulianus iaculo in latus percussus, mox manum suam sanguine suo compleuit, & in aërem proiecit dicens, *νενίγησας γαλιλαίε hoc ...*

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

*Hæc pius admonitu Domini sic verba magister  
 Reddidit, euentu vera probata suo.  
 Nam loculo impositus paulò post ipse tyrannus  
 Turpiter incerto vulnere læsus adest.*

107. DE BLASPHEMA CONFES-  
 sione Iuliani in morte se victū esse à Chri-  
 sto. Iulianus iaculo in latus percussus,  
 mox manum suam sanguine suo comple-  
 uit, & in aërem proiecit dicens, *νενίκη-  
 κας γαλιλαίε*, hoc est, vicisti Gali-  
 læ, & in eo ipso confessus est  
 cum blasphemia victo-  
 riam. Cap. 47.

*In Parthos Cæsar cūm saeuus Apostata bellum  
 Funestum gereret, vulnere atroce cadit.  
 Pugnantī sanctus miles transuerberat epar,  
 Et cadit infesta bestia læsa manu.  
 Sanguinis expirans calidam de vulnere massam  
 Excipit, ac illam seuis ad astra iacit.  
 Et dum multa furens fremebundo pectore voluit,  
 Exanimis tales fundit ab ore sonos:  
 Vicisti Galilæe meos, Galilæe, furores,  
 Tu meus æterno tempore victor eris.  
 Vitaq; cum gemitu fugit indignata sub vmbra  
 Illius infernas, & sine fine gemit.*

H

108. EX LIBRO VII. IOVINIANUS  
 Imperator pius & catholicus, ad Episcopos  
 Macedonios, offerentes ipsi literas  
 contentionum plenas: Ego contentiones  
 odi. Eos autem qui ad concordiam  
 festinant, diligo pariter & honoro.

Cap. 4.

*Aemathis plenas ferrent cum lite tabellas,  
 Praesulibus Caesar sic Iouianus ait:  
 Damniferas odi rixas litesque feroces,  
 Iurgia quod multis ansa fuere necis.  
 Diligo sed facilis quibus est concordia cordi,  
 Pacificos omni dignor honore viros.  
 Viuite concordem, concordia qualibet auget,  
 Dissipat aut discors optima quaeque status.*

109. DE MULIERE QVADAM  
 Edessena, quae cum filio ad Christianorum  
 coetus, in templum S. Thomae  
 properans, sponte ad martyrium  
 cum filio se obtulit.

Capit. 32.

*Ad templum populus quondam confluxit Edessa,  
 Disceret ut veri dogmata vera Dei.  
 Diceret & laudes toto de pectore Christo,  
 Diceret aeterno pro bonitate Deo.*

*Impius*